

1571

quibus christianæ res premebantur, tribueret; hisce malis ab eximia sua prudentia auxilium peteret, ut, amputatis controversis, omnes in commune bonum consulerent. Hæc Formento mandabantur. Ceterum biduo post, ne ex scribæ missione eorum rerum aucta fama vires acquireret, Senatus jussa ut legati perficerent, decernitur. Quibus Pontifex, se prorsus eadem, qua Senatus, mente esse, nihil antiquius concordiaæ nexu sibi fore, respondet: verum firmum quoque, atque immotum animo suo insidere, ut sartam, tectamque suam dignitatem, atque auctoritatem tueretur, quam si quis ulla in re labefactare aut laedere velit, nihil ad eam conservandam prætermissurum, mortem quoque ipsam, si occasio posceret, oppediturum. His de causis nihil de militum delectu in pontificiis ditionibus habendo impetrari poterat; atque severa adeo edita Pius pronunciari jussérat, ut præfectos quosdam, qui, facultate non impetrata, Reipublicæ nomine milites conscripserant, in vincula trudi præciperen; Agesilaumque Monalde schium, exilio ac bonorum publicatione mulctatum, ægre a Senatu saepius rogatus, revocaverit.

Aliud præterea malum in militiam irreplerat, ut plerique præfecti, ficta pro veris nomina inducentes, pessimo exemplo publica stipendia raperent: adeoque hæc pestis increverat, ut multa oppida debito militum præsidio exuta invenirentur. Huic incommodo obviam eundum Patres rati, ut ejus rei criminiis nonnulli Venetas captivi mitterentur, jussere. Torquato Hierosolymitano equiti, qui gravissime ea in re deliquerat, medio foro, inter geminas columnas cervices abscafsæ. Ceterum, ut militibus consuleretur, tres scutatos nummos singulis mensibus privato militi persolvi, cum antea sex ac triginta dierum spatio, ducatis, ut ajunt, tribus tantum mererent: decem honoraria stipendia quolibet mense præfectis tribui, decretum: & ne qua fraus inesset, bini ad eam rem Curatores (*Commissarios* vulgo dicunt) in classem sunt designati, Hieronymus Vendramenus, Joannes Contarenus, e Joppensi Comitum familia, qui tunc triremis præfecti munus obibat. Haud absimilis in remigum delectu habendo difficultas aderat, cum agrestium plerique prædurus, ac grave servitium perosi, solum vertendo in alienas regiones migrarent.

Veneti stipendia militibus augēt.

Hieronymus Vendramenus, &
Joannes Contarenus
curatores
classis eliguntur.